

5 + 6 / 88

KALENDIS IVLIIS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC. 71

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--

Übriges Europa Fr. 20.--

Uebersee US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Non dubito quin memineritis prioris fasciculi 1+2/88 Rumoris Varii, in quo sub titulo "Ordo RUMORI VARIO decem annos nato congratulantium" litteras gratulatorias vestras divulgavimus. Nos, qui Rumorem Varium edendum curamus, his litteris maxime gavisus gratias agimus omnibus, qui nobis verba sua gratulatoria miserunt!

Cum dies, quo ille fasciculus - quid vetat, ut eum quasi "fasciculum historicum" appellem? - vobis missus sit, iam III fere menses praeteritus sit, tamen adhuc semper novae litterae gratulatoriae in domum editoriam adveniunt...! Qua de causa decrevimus, ut et has litteras gratulatorias interim acceptas et omnes, quas futuris hebdomadibus mensibusque accipiemus, dum annus currens manebit, semper sub illo titulo supra nominato divulgemus. Quid vetat, ut ita faciamus? Nonne totus annus MCMLXXXVIII Rumori Vario annus festivus, quo nobis anniversarium eius decimum celebrantibus liceat gaudere, quod lingua Latina pulcherrima, a nobis peramata etiam his nostris temporibus modernis semper vivit, semper floret? Valet!

U. Aeschlimann —

Udalricus Aeschlimann



Ordo RVMORI VARIO decem annos nato congratulantium

Fontenais die IV Apr. 1988

Carissime collega!

Quid mihi laetitiae admirationisque attulerit libellus facetus ille qui Rumor Varius inscribitur, haud facile dicere valeam. Hoc praesertim in eo laudandum quod res tam varias ac nostris moribus tam accommodatas tam varie copioseque Rumor Varius divulgare consuevit. Quapropter tibi tuisque vel discipulis vel collegis vel si qui, ut constat, etiam extra Helvetiorum fines tibi in tam insigni opere opem tulerint, gratiae debere videntur maximae, quod Latinum sermonem nostrum, cui malevoli summa iniuria invidere solent, litteris hoc saeculo expressis illustrare voluisti. Pro mea vel minima parte id conari in animo perstat, ut ab omnibus, qui mihi amicitia officio collegio proximi adsunt, illud tuum opusculum, cui scribendo opportune periteque studeas, in dies latius recognosci possit. Qua ratione vehementer spero me tibi adiumento fortasse permodesto, attamen benivolentissimo futurum. Vale!

Michel Boillat



"... et in terra pax hominibus bonae voluntatis!"


die XXXI° mensis Martii MCMLXXXVIII°

Werner Beck, aetatis suae LX, Scaffusiensis, litterarum Germ. "philologus" et paedagogia "expertus" (?) sed semper discipulus inter discipulos et expertos perambulans fasc. 68 tomi 10, Ulrico Aeschlimann et collegio redactorum salutem.

"Rumor Varius" laudandus! Ecce: "Prodesse et delectare!" diebus nostris. Aptissimus, rarissimus, paginae multicolores, in lingua non petrefacta nisi machinalis redactus. Studet libenter qui RV subnotatus est! Non dubito: Tabula gratulatoria Rumoris Varii longa et praeclara. Vale!

Werner Beck

(A.D. MCMXL - MCMXLVI discipulus professorum Schopf, Pestalozzi, Wehrli, Keist)



OMNES, QVI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS, ROGAMVS

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribatis. Valete!

RVMORIS VARIII domus editoria

ERRATA

Mulier

(S. sapphicum)

Anguis es suavis sine vi veneni,
tu viro surgis cupido columna,
marmorem in carnem statuae vibrantis
vertis amore.

Gaudii praebes calyces refertos
si modos spargis calidae papillae
pube et expromis rutilas favillas
in femur album.

Crines

(S. sapphicum)

Si tuum densi, mulier, capilli
corpus abscondunt ad humum fluentes,
ut mihi laeto cubitos inundas
flumine leni!!!

Gramen et flores tibi sunt, puella,
fila quae pontum simulantia amplum
aestibus crebris obeunt figuram,
litus amoenum.

Carius praebes mihi munus auro
splendido curas rapiens molestas.
Dissolutis ut libet in capillis
sistere tempus!!!

Florindo Di Monaco

in Rumoris Varii fas- ciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi de- buit
1+2/88	21	... studeant si- ve ut in alium mundum trans- gressi praemium accipiant.	... studeant, sive ut in alium mundum transgressi praemium ac- cipiant, sive ut non.

RVMORIS VARIII domus editoria




"Raptores irruptionem velut in-
ceptum militare praeparaverunt;
itaque eventus tam tristis erat"

NUNTII ULTIMI E MEDICINA

EFFECTUS ANGORIS PROCREAT "CORDA FRACTA"

"Cor" autem "fractum" re et veritate inter homines nunc inveniri potest. Medici propterea cum vi quadam vestigia persecuti sunt atque reppererunt numerum mortuorum significanter auctum inter viduos viduasque vitae socio paulo ante amisso aut socia orbata. Medici autem perspexerunt, quid in hac re verum siet, et invenerunt, ut effectus angoris, qui vocatur, excitat efficitque magnam noxiamque commutationem in administratione hormonorum atque nervorum, insuper etiam rationem falsam vitiosamque agendi psychicam cum periculis significanter auctis, quod ad incommoda indemnitatesque aut accidentia atque morbos attinet. "Cor" enim "fractum", id est - ut ita dicam - defectio virium systematis cordis circulationisque, quam fontem esse consequenter causarum multarum mortium viduorum viduarumque constat. Causa autem inter omnes prima gravissimaque medicis videtur esse onus diuturnum perpetuumque grave psychicum ab amissione paris allatum. Quae cum ita sient res - vehemens etiam accedit strictura seu intentio perpetua negativa ("negativer Dauerstress"), quo modo minuitur velociter potestas resistendi ("Widerstandskraft") et corporis et animi contra morbos alioquin meliorem exitum melioremque praedictionem s. prognosim habentes.

AMICUS



DE MEDIO POLLITO

VEL DE GALLO DIMIDIATO

Gallina quaedam origine Hispanica mater multorum pullorum erat. Pulli omnes erant formosi praeter unum. Gallo minimo natu erant modo ala una, oculus unus, rostrum dimidium. Gallina mater persaepe tristis caput concutiens: "Filius meus minimus natu" inquit "numquam rem faciet. Numquam gallinario praeesse poterit. Domi meae semper habitabit." Medio Pollito (sic enim a matre lingua Hispanica vocari solebat) puer sane contumax erat. Cottidie in agris vagabatur, cottidie a matre fratribusque sollicitis in gallinarium reducebatur. Tum Medio Pollito: "In agris vivere non iam velim. Piget me vitae rusticae. In urbem Madritum proficiscar regem nostrum visum." Mater autem: "Satin' sanus es? Sine comitibus iter faciens misere peribis. Procedente tempore validior fies. Mox te itineribus unā nobiscum dabis." Gallus: "Ne sis mihi iam mora, matercula. Nunc mihi proficiscendum est. In urbe Madrito iuxta regiam gallinarium pulcherrimum habeo. Te iam hodie invito, ut apud me deverseris. Quo crebrius domum meam venies, eo mihi venies gratior. Me tibi commendo." Et iam in viam se dat.

Paucis horis post conspicit fluvium quendam herbis nocentibus fere tectum. Fluvius: "Aduva me, galle, herbasque istas amove, ne suffocer." Gallus autem: "Doleo vicem tuam, amice, occupatior autem sum, quam ut adiuvere te possim. Madritum enim me conferam." Et iam denuo viam ingreditur.

Paulo post in silva ignem parvulum conspicit, qui fere extinctus est. Ignis: "Mihi auxilio veni, optime, aliquid ligni mihi affer, ne peream!" Gallus: "Noli mihi oneri esse, inepte, tempus loquendi mihi non est. Recta via Madritum petam." Et iam praetervolat.


Tum Madrito appropinquans videt arborem magnam, cuius ramis ventus parvulus captus est. Ventus: "O galle," inquit "ascende arborem et a ramis me solve. Me liberare non

possum." Gallus autem: "Res me nihil contingit. Te adiuuare nequeo. Madritum enim iter facio." Et iam abest.

Postremo in urbe Madrito ad domum regiam advenit. Regis coquus culinā excurrens gallum nostrum conspicit: "Ohe," inquit "fortuna secunda sane utor. Rex enim vespere sorbitionem optimam sumere vult. Gallus hic facillimus ad concoquendum erit." Et gallumprehendit eumque in magnum vas coquinarium aqua completum inicit. Gallus miser per aquam vasis nans: "Aqua," inquit "te oro et imploro, ne me nimium madafacias." Aqua autem: "Me non adiuuisti," inquit "cum fluvius pauper essem. Nunc poenam dabis." Tum ignis in foco ardere coepit et gallus dolore motus: "O ignis," inquit "noli me urere." Ignis autem: "Mihi auxilio non venisti, cum in silva fere perirem. Nunc poenam iustam da!" Et gallus salutis suae desperavit. Postremo coquus vasis operculum amovit et: "Heu me miserum," inquit "iste sane stomachi regis non erit. Misello uti non possum." Et gallum e vase prompsit et in viam deiecit. Ecce autem, ventus appropinquans gallo misero potitus est eumque usque ad turrim altissimam ecclesiae altissimae urbis tulit, nam ventus quoque gallum poena afficere volebat. Qua de causa Medio Pollito semper summa in turri est. Sin autem aliquando Madritum vēneris, ibi gallum conspicies pede uno stantem atque oculo unico urbem tristis perlustrantem.

(Secundum fabulam Hispanicam)

Barbara Maier




Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. quae nobis cordi sunt (Acc.pl.)
2. ad locum aliquem se conferre
3. fines fluminis (Acc.sg.)
4. officium agricolae
5. origo plantarum

RVMORIS VARIII domus editoria



De Coquina Romana



(Tractationis pars prima)

Vos fortasse iam percepistis unicum esse quasi monumentum artis coquinariae Romanae librum Marco Gavio Apicio

tributum "de re coquinaria". Ille Marcus Gavius Apicius tempore Tiberii Caesaris vixit et fortasse mihi licet de fine eius vitae narrare, quod Seneca tradidit: Nam Apicius, qui magnus ganeo et coquus fertur fuisse, "cum sestertium millies in culinam coniecisset, cum tot congiaria principum et ingens Capitolii vectigal singulis comisationibus exsorpsisset, aere alieno oppressus, rationes suas inspexit; superfuturum sibi sestertium centies computavit, et, velut in ultima fame victurus si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit" (Seneca, ad Helviam X-9). Praeter hoc opus Apicii exstant adhuc excerpta Apicii a Vinidario, quorum in initio index condimentorum necessariorum invenitur, quem postea tractabo, nonnullaque praecepta apud alios auctores velut apud Catonem in "de agricultura" libro, apud Palladium et Columellam et in Geoponica, quae omnia praeter Catonem post Apicii librum conscripta sunt.

Ut videtur, praeter nonnullas alias res etiam initia artis coquinariae Romanae in Graeciaveniuntur. Sic etiam hodierno tempore quaedam similitudo inter artem coquinariam Graecam modernam atque coquinam Romanorum animadvertitur, quae imprimis in condimentis et in ratione cibos parandi manifestatur. Etiam magna est affinitas coquinae Romanae et Turcicae.

Antequam de ipsis cibis, quonam modo Romani paraverint, disserere incipiam, primo pauca dicam de ordine ciborum et ferculorum in convivio Romano.

Convivium erat omne divisum in partes tres, quarum una vocabatur gustatio, alia mensae primae, tertia mensae secundae. Plerumque sequentia epularum secundum id proverbium notissimum constituta erat, quod est "ex ovo ad malum". Ita in gustationem plerumque cibi de ovis inferebantur, etiam holera et pisces et matteae velut sumen vel glires, sed talia certe secundum divitias convivoris. In mensas primas scilicet principales cibi apponebantur, id est quaelibet genera carnis, porcus, pulli, haedus, agnus, qualescumque aves, porcelli, aper, vitellina, lepus et ita porro. Ad mensas secundas Romani amabant fruges et dulcia, sed ordo ciborum numquam fuit nimis fixus.

Ars coquinaria antiqua Romana imprimis eo a nostra Germanica vel Francogallica differt, quod Romani multo pluribus condimentis utebantur, plerumque vinum pro aqua adhibebant atque saepe dulcedinem simul cum acerbitate amabant. Hoc imprimis in carne paranda notabile videtur, ubi saepe mel vel passum addebatur. Utique Romani mel et multa genera vini et musti concocti et conditi valde dilexerunt velut defrutum, caroenum, sapam similiaque.

Condimentum maxime apud Romanos usitatum fuit liquamen. Romani liquamine ut sale utebantur, cum sal ipsum vix usquam in libro Apicii inveniat. Liquamen est ius de piscibus, qui in magnis vasibus cum condimentis sub sole fermentabantur. Deinde tota mixtio percolabatur, ut umor clausus remaneret. Hoc condimentum liquamen vel verbo Graeco garum nominabatur. Aliud condimentum magni momenti fuit passum. Passum est vinum eximie dulce, quod in libro Apicii saepe vice mellis addebatur ad dulcedinem. Alia consuetudo Romanorum fuit praecipue dulcia, sed etiam alia, multo pipere condire atque brevi antequam cibi illati sunt piper aspergere.

Cetera condimenta, quae culina antiqua contineret necesse erat, optime in "Brevi pimentorum" excerptorum Apicii a Vinidario traditorum inveniuntur. Ibi praescripsit Vinidarius, ut in domo essent haec: Crocus, piper, zingiber, laser, folium, baca myrtea, costum, cariophyllon, spica Indica, addena (?), cardamomum, spica nardi.

De seminibus hoc: papaver, semen rude, baca rutae, baca lauri, semen anethi, semen api, semen feniculi, semen ligustici, semen erucae, semen coriandri, cuminum, anesum, petroselinum, careum, sesama.

De siccis hoc: lasaris radices, mentha, nepeta, salvia, cupressum (?), origanum, zyniperum (?), cepa gentima (?), baca timmi, coriandrum, pyrethrum, citri, fastinaca (?), cepa ascalonia, radices iunci, anethum, puleium, cyperos, allium, ospreon, samsucus, inula, silphium, cardamomum. De liquoribus hoc: mel, defrutum, caroenum, apiperium (?), passum.

De nucleis hoc: nuces maiores, nuclei pinei, amygdala, abellana (=avellana).

De pomis siccis hoc: damascena, dactyli, uva passa, granata.

Postquam ergo illa condimenta, quae ad coquinam Romanam necessaria sint, omnia fere tractavi, ad ipsam cenam parandam perveniam oportet. Ut paucis exemplis demonstrarem, quomodo Romani epulas paraverint, hic ordinem ciborum pro cena Romana proponere velim, quae sufficiet circiter decem hominibus. In gustationem proponam pepones et melones, gustum de praecoquis, minutal marinum, in mensas primas copadia agnina ac pullum farsilem, in mensas secundas denique dulcia domestica de dactylis et tyropatinam. Praeterea apponentur mustacei et ad gustationem potio erit mulsum. De illo mulso certe necesse est dicam, quomodo paratur, quoniam plerique de sapore tam excellenti mirari solent. Romani antiqui mulsum faciebant ex musto cum melle mixto et deinde fermentato. Hoc autem praeceptum, quod apud Columellam (12,41) invenitur, hodierno tempore difficilis videtur. Facilius est pro musto vinum sumere, quod cum melle miscetur et non fermentatur. Pro una lagoena vini sufficiunt circiter quattuor cochlearia mellis. Ut mel melius in vino solvatur, aliquantulum hanc mixtionem calefacere opportunum est.

(Tractationis pars secunda et finalis in proximo libello sequetur.)


Vocabularium:

acetum	Essig	expedire	ausnehmen
adeps,-ipis f.	Fett	faex	Hefe
adicere	dazugeben	farina siliginea	Weizenmehl
agitare	rühren	fervere	sieden
alica elixa	gekochte Grütze	fretale	Bratpfanne
allium	Knoblauch	fricare	reiben
amulum	Stärkemehl	frigere	rösten,
amygdala			braten
(amygdalum)	Mandel	furnus	Ofen
anesum	Anis	gingiber	Ingwer
anethum	Dill	hemina=1/2 sextarius=0,27 l	
angularis,-is, m.	Auflaufform	ignis lentus	kleine
apium	Eppich		Flamme
apua	Sardelle	impensa	Masse,Teig

aspargere	daraufstreuen	infercire	hinein-
avellana	Haselnuss		füllen
baca myrthea	Myrthenbeere	inferre	auftragen
boletar	Servierschüssel	isiciola	Fleisch-
bullire	sieden, kochen		bällchen
caccabus	Kochtopf	lac	Milch
calix	Kelch (mensura: 0,15 l)	lagoena	Flasche
capo,-onis m.		lanx	Platte
(capus)	Kapaun	laser = Asa foetida	
cardamomum	Kardamom	laurus	Lorbeer
caroenum	eingekochter Most	mappa	Serviette
cepa	Zwiebel	mel	Honig
clibanus	(tragbarer) Ofen	melo	Honig-
cochlear	Löffel		melone
coctura	Brühe	mensa	Tisch
colera	durchsehen	mentha	Minze
colum	Sieb	mittere	geben (in)
conspargere	bestreuen	mola	Mühle
copadium	Schnitzel,Kotelett	mortarium	Mörser
coquere	kochen, backen	muco	Messer-
coriandrum	Koriander		spitze
costum	Kostwurz	mustum	Most
craticula	Grillrost	nepeta	ital.
crocus	Saffran		Katzenmin-
culter	Messer		ze
Cumana	Tonkasserole	nuclei pinei	Pinienker-
cuminum	Kümmel		ne
dactylus	Dattel	obligare	binden
damascenum	Damaszenerpflaume	oleum	(Oliven)öl
defrutum	stark eingekochter Most	olla	Topf,
discus	runde Platte		Kessel
doliolum vitreum	Einmachglas	olus	Gemüse
exinanire	auskippen	origanum	Oregano
pepo	Wassermelone	ovum	Ei
petroselinum	Petersilie	palmula	kleine
piper	Pfeffer		Dattelart
poculum	Becher	panicellus	Brötchen
porcellus	Ferkel	papaver	Mohn
porrus	Lauch	passum	sehr süs-
		patina	ser Wein
			Pfanne,

praecoquium	Aprikose		flacher
primoticus	noch nicht ganz reif		Topf
		persicum	Pffirsich
puleium	Poleiminze	sal	Salz
pullus	Hühnchen	salvia	Salbei
pulpa	Fleisch ohne Kno- chen	sextarius	= 0,54 l
		silphium	= laser
pulpa caesa	Hackfleisch	spica Indica	Narde
repositorium	Tablett	suffundere	dazugies- sen
			mahlen,
temperare	abschmecken	térere	reiben
tracta	Teig aus Mehl und Wasser	trulla	Schöpflöf- fel
urtica marina	Qualle		= gingiber
uva passa	Rosine	zingiber	

Robertus Maier



De vico nomine Badenweiler vel de thermis Romanis

Carolus: Salve multum, mi amice! Opportune advenis.
Paulus: Carolum optime eccum!
Carolus: Ubi tu tam diu latuisti?
Paulus: Vix mihi fuit copia mei.
Carolus: Nimium affixus es libris, mi amice.
Paulus: Non est satietas studiorum. Maximam operam nunc do
architecturae Romanae, praecipue thermis antiquis.
Carolus: Si in animo habes thermarum Romanarum ruinas dili-
genter penitusque cognoscere, in vicum illum
nomine Badenweiler te conferre oportet. Feriis
proximis regionem hanc amoenissimam perlustravi.
Paulus: Narra mihi, quaeso, de locis illis!

Carolus: Thermae in radicibus Abnobae sitae fere omnes
balneas eius generis et magnitudine et commodis
superabant.

Paulus: Exceptis balneis Romae vel Augustae Treverorum
constructis!

Carolus: Hoc in aperto est. Ruinae thermarum vici nostri
autem nos sane docent loca ea paradisum balnearium
celeberrimum fuisse. In hortis balneariis aetatis
nostrae ruinae semper cernuntur. Ducentis annis
ante balneae, quae propter fontes calidas
permultis hominibus ad aquas venientibus per multa
saecula magno usui fuerant, tectae et hoc modo
posteritati servatae sunt.

Paulus: Quando balneae illae constructae sunt?

Carolus: Balneae primae Vespasiano imperatore aedificatae
sunt. Sub caelo aspero umidoque Germaniae nemo
enim tutus erat a musculorum doloribus.

Paulus: Haud ignoro Romanos quoque magno cum studio usos
esse fontibus calidis Aquarum Suebicarum
(Baden-Baden), Aquarum Mattiacorum (Wiesbaden),
Aquisgrani (Aachen).

Carolus: Recte dicis! Forma balnearum nostrarum autem
singularis atque per omnia saecula semper eadem
fuit. Complures regiones (Gebäudeteile) inter se
congruentes axem medium circumdabant. Quattuor
solia (Badebecken) magna concamaratione (gewölbte
Decke) tecta erant. Soliis coniuncta erant
apodyteria (Auskleideräume) sudationesque
(Heissluftbäder).

Paulus: Notum est balneas Romanas non modo ad corpora
lavanda institutas esse sed praeclaras fuisse
ordine balnearum variae temperiei. Sed apodyterium
coniunctum erat frigidario (Kaltwasserbecken)
piscina ornato. Tum sequebatur tepidarium
(Lauwasserbecken), quo loco praecipue utebantur ad
corpora unguenda. Sequebatur caldarium
(Warmwasserbecken) cum alveo (Schwimmbad).
Permulta balneae ornatae erant sudationibus.

Carolus: In exemplum thermas nostras nominavi.

Paulus: Quid de hypocausti?

Carolus: Magna vis ingenii Romanorum bene apparet in

conlocatione hypocausis (Unterfeuerung), quae canalibus auris calidis impletis balnea calefaciebat.

Paulus: In libris Vitruvii "De architectura" legi maxime ligno calefactum esse. Supra hypocausim erant aenea, ubi aqua ad usum balinei calefiebat. Thermae saepenumero habebant palaestras, ambulationes, tabernas, bibliothecas.

Carolus: In balneis nostris erat aedificii pars, ubi potiones veniebant. Partes quoque cuiusdam arae inventae sunt. Ara sacra erat Dianae Abnobae deae.

Paulus: Nonne erat dea Nigrae Silvae?

Carolus: Sic est.

Paulus: Qui homines balneas eas frequentabant?

Carolus: Inter eos, qui ad aquas proficiscebantur, erat magnus numerus incolarum ditissimae coloniae nomine Augustae Rauricae (Augst).

Paulus: Thermae illae ergo praeclarae fuerunt?

Carolus: Usque ad impetus Alemannorum, tertio p. Chr. n. saeculo, thermae aemulabantur balneas Aquarum Helveticarum (Baden an der Limmat) et Luxovii (Luxeuil-les-Bains).

Paulus: Haud ignoro vicum nomine Badenweiler hodie semper illustrem esse.

Carolus: Vicus ille semper delectat eos, qui bonam valetudinem corporis et relaxationem animi quaerunt. Nusquam terrarum homines hospitaliores! Nusquam ibi desunt nemoris umbra, prata virida, scatebrae fontium. Quid obstat, amice, quominus locum hunc visas? Corpore animoque corroboratus domum revertéris.

Paulus: Gratum mihi fecisti, optime, quod illud me monuisti. Libentissime feriis proximis me eo conferam rusticatum.

Barbara Maier

Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. somnus

2. signa hominibus a deis missa

3. condimentum acre

4. quo dorsum asini premitur, qui aliquid portat (Dat.sg.)

5. quae non saepe inveniri solent (Dat.pl.)

RVMORIS VARIi domus editoria



Facetiae musicae

I

Aliquando moderator musicorum (1a) Felix Mottl dramati musico (2) "Electra" a Ricardo Strauss composito studebat (3) componista in theatro praesente. In quodam dramatis loco moderator et componista rixabantur de quaestione, utrum sonus fa an fa diesi aucta (4) tubicini esset canendus. Strauss contendit: "Fa diesi aucta ei est canendum!" Mottl autem partituram (5) ostendens contra: "Sed hic fa scriptum est", ait, "vide ipse!" Strauss, cum cognovisset is verum esse stomachosus respondit: "Certe, sed est mendum typographicum (6). Praeterea necesse erat te crevisse istos sonos atrocissimos esse auditu!" Tum Mottl aequa mente: "Atrocissimos quidem esse scilicet audivi, sed falsos esse ignoravi."

II

Cum Ricardus Strauss musicos ipse moderans (1b) dramati musico suo "Salome" studebat (3), in saltatione septem ricarum (7) saltatrix componistam interrupit et dixit: "Maestro, antea musicos hanc saltationem lentius agere (8) iubebas." Tum Strauss: "Non lentius agebant, sed tu, mi cara, procerior (9) eras!"

III

Cum drama musicum "Carmen" a Georgo Bizet compositum daretur (10), in quodam loco operis non longe a fine equi in scaenam producebantur, et prohiberi non poterat quin ibi cacarent. Tum in parte finali (11) dramatis - non fuerat interea tempus scaenae purgendae - , cum Don José Carmen trucidare oportebat, cantor partes Don José agens (12) Carmen - ut in partitura erat praescriptum - ictu siccae tractavit; sed Carmen non - ut secundum eius partes oportebat - moriens cóncidit. Iterum Don José ictu eam affecit, sed semper Carmen stabat. Don José voce summissa susurravit (13): "Quid agis, nonne tandem cóncidis?" Tum Carmen summissa quoque voce: "Statim, si mihi in scaena locum equorum stércore vacuum ostendis."

IV

Eiusdem dramatis in parte finali cantor, qui partes Don José agebat, sicam, qua Carmen trucidaret, in vesti sua invenire non potuit. Dum quaerit, ut musica pergente ita actione morante moderator musicorum (1a) discrepando paulatim in magnis angustiis (14) erat. Tandem summo in discrimine ordinator scaenarum (15), qui post siparium (16) stabat, clamavit: "Mehercle, suffoca (17) eam!" Et ita factum est.

V

Paulus Sarasate (Pablo de Sarasate), praeclarus ille violonista (18) Hispanus, nonnumquam res miras fingere et narrare solebat. Qui aliquando cum amicis in deversorio in Hispania habitans omni matutino tempore querebatur dicens noctu testudines (19) in cubiculo suo circumeuntes se somno

prohibuisse. Tum amici quadam nocte per iocum revera nonnullas testudines in cubiculum Pauli apportabant. Postridie curiosi exspectabant, quid ille dicturus esset. Sed Sarasate fatigatus tantum: "Nonne semper id dicebam?"

VI

Cum clavicen (20) Alfredus Grünfeld concentum musicum (21) edidisset, ex auditoribus senex summa admiratione inflammatus ad illum properavit et: "Mirabilissime clavile cecinisti (22), maestro!" inquit. "Oportet te, quaeso, in funeribus meis clavili canere." Tum Grünfeld: "Libentissime, mi domine. Quae opera audire velis?"

VII

Aliquando clavicen quidam concentum musicum editurus paulo ante in scaenam prodiit spectaturus, quot auditores adessent. Neminem crevit nisi quattuor viros in prima acie sedentes. Ad quos clavicen: "Parvum tempus exspectate, domini. Differo paululo concentūs initium, dum plures auditores adsint." Tum unus ex viris: "Ne cesses incipere, domine maestro. Sumus enim baiuli (23) ad clavile asportandum concentu finito."

VIII

Clavicen Wilhelm Backhaus cum octogenarius in commentariis diurnis (24) critici iudicium sui concentūs legisset, stupens dixit: "Nunc iterum in principiis cursūs mei sum. Cum duodecim annos natus concentum edidissem, omnes critici scribebant: quam mirabiliter clavili canit pro sua aetate! - Nunc éadem scribunt."

IX

Musicus Eugenius d'Albert pluries uxorem ducebat. Aliquando iterum nuptiis commissis amicos ad magnum festum agendum invitavit uxorem novissimam praesentaturus. Tum unus ex amicis: "Gratulor tibi, mi Eugeni. Uxorem tam amabilem et gratam rarissime adhuc nobis praesentavisti."

Vocabula:

1a	moderator musicorum	Dirigent
1b	moderari	dirigieren
2	drama musicum n.	Oper
3	studere	proben, einüben
4	fa	f
	fa diesi aucta	fis
5	partitura, -ae f.	Partitur
6	mendum typographicum n.	Druckfehler
7	rica, -ae f.	Schleier
	saltatio septem rixarum	Tanz der 7 Schleier
8	agere	ausführen, spielen
9	procērus, -a, -um	schlank
10	dare	aufführen
11	pars finalis	Schlusszene
12	partes, -ium f.	Rolle
	partes alicuius agere	jmdn. darstellen
13	susurrare	flüstern
14	angustiae, -arum f.	Schwierigkeiten, Verlegenheit
15	ordinator scaenarum	Regisseur, Inspizient
16	siparium, -i n	Kulisse, Vorhang im Theater
17	suffocare	erwürgen
18	violonista, -ae m.	Geiger
19	testudo, -inis f.	Schildkröte
20	clavicen, -inis m.	Pianist
21	concentus musicus	Konzert
	concentum musicum edere	ein Konzert geben
22	clavile, -is n.	Konzert-Flügel
	clavili canere	Klavier spielen
23	baiulus, -i m.	Lastträger
24	commentarii diurni	Zeitung

Daniel Weissmann



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda
est ad adressam infra
stantem.

(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich